

Epiſtola gratulatoria.

Hippocratis L. de Arte: At verò verborum in honestorum arte ad ea qua ab aliis inventa sunt confundenda promptum esse, nihil quidem corrigendo: eorum verò qui aliquid sciant, inventa apud ignaros calumniando, non sanè scientia votum aut opus esse videtur, sed proditio magis natura sua, aut ignorantia artis, solis enim artis ignaris hoc ipsum factum venit, qui contentiosè quidem gestiunt ac conantur, nequaquam verò possunt malitiae sufficere, ad hoc ut aliorum opera, qua quidem rectas sunt, reprehendant.

Epiſtola gratulatoria.

LAborioſſimum Medicinæ ſtudium eſſe, querela fuit inter tyrones non modo Artis hujus prætantissimæ longè lateque diſſula, ſed apud exercitatos etiam & veteranos fermè quotidiana, & tamen pauci exſtitent, qui moleſtias illas alleviare & faciliorem ad divinam hanc ſcientiam monſtrare noverint adiutum. Non negamus quidem, magnum eſſe numerum Auctorum, qui ad erudiendos ignaros etiam ingentibus aliquando voluminibus inſcriptas ediderint Institutiones, ſed tantum abeft, ut labores eorum imminuerint, & clara certaque formaverint principia, quin potius labores laboribus accumulārint, & obſcurum reddiderint obſcurius. Ea propter minimè eſt mirandum, quod ex Celsi effato Medicina aliorum ſit orta, addo ego & exercitata, ſalute, aliorum interitu; cum enim per varia experimenta remediorum vires adhuc fuerint indagandæ, nec corporum ægrotorum conſtitutiones ſatis eſſent maniſtæ, ſepiuſ contigit, ut per medentis ignorantiam ea exhibita ſint medica- menta, quæ expulſis aut abſumis ſalibus volatilioribus ſuecos antè fluidos incravarent, & hos & illos obſtruxerunt canales & canaliculos, ſicque motum circularem, quem veterum plurimi penitus ignorasse videntur, inhibuerunt, unde morbus in iplam transiit mortem. Stupendo deinde malum illum intuentes eventum, nec veram ſcientes cauſam, cui infortunium illud fuerit adſcribendum, varias finxerunt facultates, cui vis penè membro & viſceri inhabitantes, quarum robore ſanitas brevi fuerit ſequuta, irritatione morbi vehementes excitati, aut debilitate vita ſuceubuerit. In tenebris hiſce ſimul magna illa coluerunt idola, Naturam & Crisim, quibus à vero Numine turpiter ſecendendo tantam tribuerunt intelligentiam, ut non ſi- ne panico ſepe tertore intentis quasi oculis ad eas reſpexerint, quali prudentiā bo- num feligerent à malo, & hoc rejecto, illo retento, victores fierent morborum; vel à copia materiæ malignæ morbos devictæ & ſuppreſſa hosti ſuo cederent, & vitæ filum permettere cogerentur abrumpi. Quis non hinc facile perspicit, à cecis iſtis ductoribus ſeductos fuſſe omnes eorundem ſequaces, ne debitè erudiri potuiffiſe magiſtri ejusmodi uſuſ rerum veritatis ignarisi. Sed aeterna Veritas mendacia non tolerans radii ſuis quorundam mentes ita illuminavit, ut falſum à vero diſcernere valuerint, quo lumine diſcrimen illud maximum inter mentem & corpus fuit retectum, cuius, tanquam machinæ artificiosiſſimæ, partium numerus, figura, magnitudo, ſitus & motus, absque ullâ animâ fictitiâ & inferioribus ejus potestatibus, ſecundūm re-

Epistola gratulatoria.

gulas mechanicas, in œconomia animali omnia absolvunt opera, tum in statu sano, tum morbo summam sœpe merentia admirationem.

Firmiore hæc talo nitentia principia qui sequuntur, feliciter in theoriz & praxi Medicinæ procedunt & propterea rejectis incertis illis & obscuris seriò observantur ab iis, qui in votis habent, ut & sibi & proximo suo mensana sit in corpore sano. Hæc quoque causa est, quod Tua, Vir Celeberrime, Fundamenta Medicinæ ad mentem Neotericorum ante sexennium primum publici juris facta & non ita pridem in Belgio reclusa adeò avidè fuerint arrepta, & summâ diligentia ab iis lexitata, qui discernere potuerunt, quid nucleus cortice distet. Quamvis autem opere isto ingenii Tui filios artis Tibi satis reddideris obstrictos, studio tamen publico inserviendi àndies magis accessus, nunc Medicinæ rationalis Institutiones exhibere Tibi lubuit, in quibus certè nihil desiderari potest, quod ad fundamenta artis nostræ illustrissimæ pernoscenda manu ducere potest felici, omnia enim tam clare & distinctè in iis sunt proposita, ut vera philosophia præceptis imbutis ad interiora artis facilem sternere valant viam, nec unquam aberraturos esse à verâ semitâ eos promitterem, qui libro hoc tanquam ductore fruentur.

Magno videmus luctu etiamnam obductas esse seniori philosophia & Medicinæ deditos ob insperatum illum D. Crani, olim Professoris Lugdunensis Celeberrimi, postmodum Consiliarii & Archiatri Potentissimi Electoris Brandenburgici, ad sedes beatiores secessum, metuentes, ne morte Herois hujus Ars nostra in progressu & splendore suo magnam patiatur eclipsin; sed modum habebunt sic mœrori, intuentes Te, Vir Ingeniosissime, tanquam fidus in sapientum firmamento splendidissimum optimæ sequendo Philosophia regulas, divinae mentis Tuæ radiis quicquid in scientiis Medicinæ uni vel alteri nondum satis detectum, aut adhuc obscurum videtur, illuminaturum, & tantum ubique vera desideranti præstiturum esse juvamen, ut damnum superius fœnore præsenti facile perspiciunt resarcendum. Hoc solum nobis seriò incumbet omnibus, ut rerum cunctarum Arbitrum & sospitatorem æternum intimis sollicitimus precibus, dignetur summa sua Majestas ad multorum solamen, mendaciorum extirpationem, veritatis promotionem, ringentibus licet adversariis, corporis & ingenii Tui Vires ad ingentem adhuc annorum numerum corroboratas prolongare, quo divinae sue augendæ gloria Magnum Academiarum vestrarum floreas ornamentum. Hoc animitus vovet

Cassolis è museo meo 20. die Aprilis 1688.

JOHANNES DOLÆUS, Med.
D. Consiliarius ac Archiater Sereniss.
Principis Hasso - Cassellani, S. R. I.
Curie. Collega d. Andromachus.